

*Donazione di Enrico
Ruffo al figlio Guglielmo*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Donazione di Enrico
Ruffo al figlio Guglielmo*

1325-06-23

In nomine Domini amen. Anno Incarnationis eiusdem millesimo trecentesimo vigesimo quinto, Die vigesimo tertio mensis Iunii octave Inditionis apud Sinopolum. Regnante Serenissimo Domino nostro Rege Roberto, Dei gratia Inclito Ierusalem, et Sicilie rege, Ducatus Apulie et Principatus Capue, Provincie et Forcalquerii, ac Pedemontis Comite, regnorum suorum anno decimoseptimo, feliciter amen.

Nos Iacobbus de Notaro Gregorio, Iudex Terre Seminarie in defectu Iudicis nondum in eadem Terra Sinopoli per Regiam Curiam creati, Basilius Ianolus de Oppido Regius publicus ubilibet per Iustitiariatus Calabrie Vallis Cratis, et Terre Iordane notarius, et testes subscripti, ad hoc vocati specialiter et rogati praesente scripto publico notum facimus, et testamur universis tam praesentibus quam futuris. Quod vir magnificus Dominus Enricus Ruffus de Calabria Sinopoli Dominus considerans satis grata, et accepta servitia, et beneficia quae Vir nobilis Dominus Guglielmus Ruffus de Sinopolo Placanice, et Veteris Brutiani Dominus filius praedicti Domini Enrici emancipatus, ut constitit, sibi contulit, confert, et quae, Deo dantes, conferre poterit in antea gratiora, ac volens ipsa servitia, et beneficia in remunerata transire, sed digniori beneficio responderi ex causam purae meae et liberae donationis de sua mera, gratuita et spontanea voluntate inrevocabiliter inter vivos eidem domino Gulielmo, et suis heredibus in perpetuum donavit, tradidit, et assignavit partem Domorum suarum, videlicet Domum Magnam discoopertam ubi consuevit fieri trapetum Cappellam, et cortilium, quod cortilium tantum habet pro communi, et indiviso cum Domino Fulcone fratre suo, que Domus coniuncte sunt muris

civitatis Rheggii ex parte Orientali, et coquine Domorum praefati Domini Fulconis, et si qui alii sunt confines cum omnibus iuribus, rationibus, proprietatibus, partium earum, de quibus Domibus praefatus Dominus Enricus eundem Dominus Gulielmum coram nobis in corporalem possessionem per fustem induxi. Dans, et concedens sibi, et heredibus suis plenam licentiam, et liberam potestatem ipsas Domos tenendi, habendi, uti fruendi et perpetuo possidendi, cum pleno domino, et libera potestate donandi, vendendi, permutandi, locandi, alienandi, et de eis, et in eis faciendi quidquid sue, suorumque haeredum placuerit voluntati. Promittens praefatus Dominus Enricus per stipulationem solemnem per se, et heredes suos eidem domino Gulielmo pro se, suisque heredibus legitime stipulanti, presentem donationem semper firmam, ratam, et inconcussam perpetuo habere, tenere, et inviolabiliter observare, et in nullo unquam tempore contra premissa, seu aliquod premissorum facere, vel venire sub hypoteca, et obligatione omnium bonorum suorum tam mobilium, quam stabiliium habitorum, et habendorum. Et ad maiorem cautelam eiusdem domini Gulielmi heredum suorum prefatus Dominus Enricus iuravit eidem Domino Gulielmo ad Sancta Dei Evangelia corporaliter tacta, presentem donationem, et omnia, et singula predicta semper firma, et rata habere, tenere, attendere, et inviolabiliter observare. Nihilominus ad ulteriorem cautelam praefati Domini Gulielmi, et heredum suorum predictos Dominus Enricus obligavit se, et heredes suos ad poenam unciarum auri ducentarum pro medietate Regie Curie, et parte altera Domino Gulielmo, et heredibus suis exolvenda, me predicto Notario publico pro parte Regie Curie, et dicto Domino Gulielmo pro

se, et suis heredibus legitime stipulantibus, qua poena soluta, vel non premissa omnia, et singula semper in suo valore perseverent. Preterea prefatus Dominus Enricus sub Religione predicta Sacramento osservata se de predictis bonis nullam donationem, et alienationem fecisse alicui asseruit, et si facta esset donatio, vel alienatio alicui Ecclesie vel persone per legatum, seu per quecumque alium modum, quod ipsa donatio, legatum, vel alienatio sint irrita, vacua, inania, et revocata. Renuncians praefatus Dominus Enricus exceptioni doli, vis, metus, et exceptioni ingratitude per quam posset ipsa donatio revocari, et omnibus aliis iuribus tam Canonicis, quam Civilibus scriptis, et non scriptis, et omni actioni, et exceptioni quibus contra premissa venire posset, seu aliquod premissorum. Nihilominus expresse prefatus Dominus Enricus mandavit, et voluit quod heredes sui sub poena maledictionis eterne nunquam contra premissa venire, vel aliquod premissorum.

Unde ad futuram memoriam et tam dicti Gulielmi quam heredum suorum cautelam factum est exinde de mandato paefati Domini Enrici presens publicum Instrumentum per manus mei predicti notarii nostrum qui supra iudicis, notarii et subscriptorum signis, et subscriptionibus roboratum. Datum anno, die, loco, mense, et inditione premissis. † Ego Iacobus de notario Gregorio qui supra Iudex Seminarie testor. † Ego Franciscus de Seminaria testor. † Ego Iacobus de Oppido eiusdem Terre Oppidi Dominus predicta testor. † Ego Fulco Ruffus de Sinopoli miles Bubalini et Capitis Bruciani Dominus predicta testor. † Ego Petrinus Ruffus de Sinopulo testor. † Ego Fulco de Briga testor. † Ego Rogerius de Sinopulo testor. † Ego Leonardus de Pugratio testor. † Ego Gregorius de

Neapoli predicta testor. † Ego Gulielmus notarii Stephani testor. † Ego Iacobus de Messana me subscripsi. † Ego Nicolaus de Regio testor. † Ego Enricus de Notario Gregorio testor. † Ego Enricus de Amantea testor. † Ego Nicolaus de Attafi testor. † Ego Ioannes Attafi testor. † Ego Basilius Ianulus qui supra Regius Publicus ubilibet per Iustitiariatum Calabrie Vallis Cratis, et Terre Iordane Notarius praedicta scripsi, et me subscripsi.